

secundum sententiam communionem; quod præsertim locum habet in paupere, qui nequeat Sacro interesse, nisi cum gravi incommodo.

CAPUT III.

De quarto præcepto.

Honora Patrem tuum, & matrem tuam,
cet. Ex 20.

29. Parentum nomine in hoc Decalogi præcepto comprehenduntur. 1. parentes, qui nos secundum carnem genuerunt. 2. Superiores, spirituales potestatem habentes, ut sunt Episcopi, & Parochi. 3. potestatem sæcularem habentes, ut Reges, Principes, Duces, domini. Denique alii omnes, qui aliquam in nos a jure exercent potestatem, ut Tutores, Curatores, Magistri, & alii hujusmodi. Ita animadvertunt Doctores omnes ex Conc. Coloniensi. Quod ergo de parentibus dictum erit, de ceteris suo modo intelligendum erit.

30. *Quæst. 1.* Quænam est filiorum obligatio erga parentes suos? R. tria filii parentibus exhibere tenentur, scilicet amorem, obedientiam, & reverentiam. Ac primo quidem filii debent patrem, & matrem diligere amore interno, & quidem præ omnibus aliis, cum sint illis conjunctiores, & ab illis vitam acceperint. Hinc dicitur 3. Eccl. *In toto corde tuo honora Patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliviscaris.* Ita Parentes odio interno prosequi, aut grave ma-

lum eis optare, non solum est grave peccatum, sed specialem contrahit malitiam, in confessione explicandam. Præter amorem internum debetur parentibus amor externus. Itaque graviter peccat filius, si odii signa illis exhibeat; si torvo oculo frequenter intueatur, & aspere alloquatur; si non subveniat in gravi necessitate spirituali, vel corporali; si negligat preces, & sacrificia pro eis offerre; si non impleat eorum testamenta, & legata, modo sit hæres; denique si mortem illis, vel aliud grave malum exoptet.

31. Secundo loco debent filii parentibus reverentiam, ut satis exprimitur illis. Ex verbis: *honora.* Et Eccl. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Probat autem D. Thomas ex eo, quod participant rationem principii, cum propter generationem, tum propter educationem, & representent dignitatem Dei, qui Pater est omnium. Unde peccat graviter filius, si percutiat etiam leviter Parentes, aut manum ad percutiendum deliberate attollat; in quo, ut recte advertit Sporer, duplex esset peccatum, contra justitiam, & contra pietatem. II. Si graviter eos contristet, etiamsi verba non sint graviter contumeliosa. III. Si contumeliis, maledictis, aut conviciis eos afficiat. IV. Si parentes pauperes despiciat, aut nolit eos agnoscere, quamquam si ex juxta causa exterius dissimulet sine contemptu, peccati gravis non est damnandus. V. si in foro externo filius etiam de vero crimine parentes accuset; extra crimen hæresis, prodicionis, vel conjurationis, cum non sit alius corrigendi mo-

dus. Tandem filius maledicens, aut subsannans
 Parentes graviter peccat, si fiat in eorum præ-
 sentia; imò etsi absentes sint, si fiat animo in
 eos malevolo, aut verbis graviter contumeliosis,
 si secus vero, erit peccatum veniale; idque sive
 parentes viventes sint, aut defuncti, ut notat
 Navarrus. *Oculum qui subsannat patrem, & qui
 despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi,*
 cet. Prov. 2.

32. Circa obedientiam parentibus debitam,
 docet Apost. ad Ep. 6. *filii obedite parentibus ve-*
stris in Domino: hoc enim justum est. Et ad Co-
 loss. 3. *filii obedite parentibus per omnia; hoc enim*
placitum est in Domino. Ad Rom. autem 1. *qui*
non obediunt parentibus, digni sunt morte. Unde
 ait D. Th. quodl. 2. art. 9. filios obligari ad
 obediendum parentibus in iis omnibus, quæ
 pertinent ad gubernationem domus, & ad ip-
 sorum disciplinam, seu educationem. Hinc gra-
 viter peccat filius, qui eis negat obedientiam in
 re gravi, quæ pertinet ad regimen domus, vel
 ad bonos mores. 2. qui contra voluntatem pa-
 rentis contrahit matrimonium cum dedecore fam-
 iliæ, vel gravi detrimento. Imò qui nolit sine
 justa causa feminam ducere, quam vult parens,
 maxime si inde oriretur perturbatio domus, aut
 inimicitia, cet. Vide Tract. de matrimonio
 c. 1. n. 14.

33. Non tenentur liberi obedire Parentibus,
 cum aliquid præcipiunt contra legem Dei, vel
 consilia Evangelica; nam *obedire oportet Deo*
magis, quam hominibus. Act. 5. Neque in iis,
 quæ pertinent ad electionem status, quia hæc

dependet a Divina vocatione; tenentur autem
 eos consulere, non autem consilium eorum am-
 plecti, nisi conforme sit Divinæ vocationi. Hinc
 potest filius, invitis Parentibus Religionem in-
 gredi, nisi Parentes in gravi necessitate consti-
 tuti ejus ope indigeant in sæculo, nec aliter
 juvari possint. An vero teneatur egredi, ut sub-
 veniat parentibus? dicemus in Tr. de Statu
 Relig.

34. *Quest. 2.* Ad quid teneantur parentes
 erga liberos? R. Parentes, quo nomine etiam
 veniunt ascendentes, avus, proavus, cet. te-
 nentur ex jure naturali, conservationem, & edu-
 cationem liberorum curare. Hinc peccant gravi-
 ter, qui sine justa causa prolem hospitali do-
 mu, vel publicis locis exponunt. Mater tenetur
 proprio lacte nutrire filium; quod si non faciat
 sine justa causa, erit peccatum solum veniale.
 Debet autem sub gravi bonam nutricem quære-
 re, cujus expensas solvere debet Pater, si Ma-
 ter lactare non possit. Hæc autem secundum ju-
 ra tenetur prolem alere ad finem anni tertii;
 postea educatio usque ad emancipationem spec-
 tat ad patrem, nisi hic foret pauper, & illa di-
 ves. Nec solum legitimæ proli, sed ex Can. jure
 etiam illegitimæ tenetur Pater curare victum,
 vestitum, & artem aliquam vitæ honestam, &
 dotem filia; nequit tamen ultra congruam sus-
 tentationem, illis hæreditatem relinquere; hoc
 enim leges prohibent, ne filii legitimi justa hæ-
 reditate priventur.

35. Peccant graviter parentes, qui bona sua
 dilapidant, aut non ea curant acquirere, qui-

bus filii alii possint, & congruam hæreditatem habere. Nam ad Cor. 2. c. 12. ait Ap. *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*; hoc est futuris eorum necessitatibus providere. Nec potest Pater sine justa causa filium hæreditate, aut dote filiam privare. Justæ autem causæ sunt ingratitude in Parentes, dilapidatio bonorum, vita filix perditæ, & luxuriosa; quæ tamen causæ in testamento debent exprimi. Præter hos casus potest Pater ad certum tempus alimenta filiis subtrahere, ut corrigantur. An autem Pater possit filium exhæredare, qui se invito mulierem duxit? R. si ea non sit viro indigna, certe non potest. Si autem filius nuptias ineat, patre invito, tenetur Pater eum alere indigentem, & uxorem ejus, etiamsi filio indignam. Quod si filia nubat invito Patre, eodem fere modo discurrendum.

36. *Quest. 3.* Ad quid teneantur Parentes circa liberorum institutionem? R. tenentur eos instruere vel per se, vel per alios in rebus ad fidem, & mores necessarios. Unde peccant graviter, si non curent, ut liberi Christianæ fidei rudimenta addiscant, ut bonis moribus imbuantur, pravorum consortia vitent, Sacramenta Ecclesiæ frequentent, uno verbo, vitam degant viro Christiano dignam. Peccant item graviter, si eos delinquentes non corrigant: quamquam eis non liceat, immoderata uti correctione. Tenentur quoque eis relinquere libertatem circa electionem status, eos non cogendo vel ad matrimonium, vel ad Religionem, & Ordines suscipiendos.

37. *Quest. 4.* Quænam est obligatio Tutorum, & curatorum, qui parentum sunt loco? R. uterque debet vices parentum gerere in iis, quæ pertinent ad instructionem, & educationem pupilli, sibi commissi. 2. debet ejus bona fideliter administrare, ideoque dum suspicit hoc munus, repertorium bonorum conficere, aliorumque damna resarcire: conservare, ac defendere jura pupilli, & pecuniam, quæ superest, in emptionem reddituum stabilium, aut in census impendere, prout utilius judicaverit; 3. non potest pecuniam dare pupillo ad usus inutiles, vel nocivos; nec in proprios usus convertere; alias tenetur ad restitutionem lucri cessantis, aut damni pupillo emergentis. 4. non potest donationes, vel condonationes gratiosas facere de bonis pupilli, cum non sit illorum dominus, sed administrator. Excipe donationem remunerationis gratia, addens aliquid stipendio pro liberali servitio. Denique tenetur officio suo defunctus reddere rationes; quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant.

38. *Quest. 5.* Quid subditis præstare debeant Domini & Superiores? R. curam habere debent eorum, quorum sunt caput, cum loco sint parentum: unde Ap. 1. ad Tim. ait: *si quis suorum, maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Itaque peccant graviter, si negligent, eos per se, vel per alios in rebus ad fidem & mores pertinentes instruere; si eos impediunt sine gravi causa, ut die festo Missam audiant, Sacramenta frequentent, catechesi, aut concioni inter-

sint; si diebus festis ad laborem compellant; si peccandi occasiones non tollant, & peccantes non corrigant. Peccant item, si gravibus eos injuriis, & contumeliis afficiant: si alimenta non præbeant, & justam eis mercedem non solvant. Quod si ante præfinitum tempus dominus famulum absque causa expellat, non solum peccat, sed tenetur ei integram mercedem solvere, si famulus inde detrimentum capiat; si secus, non tenetur, nisi partem mercedis, quæ respondet tempore servitii; verum in poenam injustitiæ post judicis sententiam, tenetur aut totam, aut saltem majorem ultra dimidiam partem salarii reddere, ex lege *Qui operas* 38. & l. 16. ff. *locati*. Potest herus ex mercede famuli sibi vendicare sumptus in ejus curatione impensos, cum non teneatur infirmo dare salarium, nisi aliter sit conventum, aut charitas id exigat, ut certe exigit in necessitate gravi, vel extrema.

39. *Quest. 6.* Quid teneantur famuli præstare dominis suis? R. eadem, quæ filii parentibus, famuli suo modo debent dominis, puta amorem, reverentiam, & obedientiam; sunt enim loco parentum. S. Th. 2. 2. q. 103. Itaque graviter peccant, si non laborent, serviantque fideliter, tenenturque ad compensationem damni. II. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum possint impedire. Et quidem si damnum ab aliis illatum sit in rebus, quarum ipsis cura commissa est, a restitutione non possunt liberari. III. Si a Domino sine causa discedant ante terminum elapsus; ultra hunc vero terminum manere non tenentur, etiamsi ali-

quandiu ægrotaverint; nequeunt vero petere salarium pro tempore, quo morbo impediti inservire non potuerunt. IV. peccant graviter famuli, si in rebus magni momenti non obediant.

40. Nota hic 1. ex bulla S. Pii V. & ex pluribus decisionibus Regiis non licet famulis post triennium, elapsus a Domini servitio, petere mercedem a Domino; sed cum id solum habeat locum in foro externo ratione præsumptionis, Dominus, si certus sit non solvisse, tenetur solvere in conscientia. Imo si famulus de mercede non accepta sit certus, & illi constet, Dominum nondum legitime præscripsisse; potest exigere debitum, & si alia non suppetit ratio, sibi debitum compensare. Nota 2. damnatam esse ab Inn. XI. hanc prop. *famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

41. *Quest. 7.* Quænam officia sibi mutuo præstare debeant conjuges? R. Uxor in iis, quæ spectant ad domus gubernationem, & bonos mores, debet obedire marito, qui est caput. Maritus autem uxorem habere debet ut sociam, non ut servam. Const. ex Ap. ad Eph. 5. *Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. . . . Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Unde utrique sibi mutuo debent amorem specialem propter speciale vinculum, quo sunt invicem connexi. Debent item simul habitare non solum quoad tectum, sed etiam convictum, & cetera officia præstare,

quæ exigunt vinculum conjugale, prolis susceptio, & educatio. Est communis omnium doctrina ex illo Gen. 2. 8. Matt. 19. *Dimittet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne una.* Et 1. ad Cor. 7. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. . . . Et vir uxorem non dimittat.* Peccabit igitur mulier, si virum, domicilium mutantem non sequatur, nisi excuset gravis causa, aut nisi pactum præcesserit non mutandi domicilium, invita uxore. An autem mulier teneatur sequi virum in exilium, dubitant TT. Negant multi mulierem innocentem obligari ad subeundum viri infortunium: affirmant Salm. & alii, & quidem probabilius, quia uxor tenetur subire mariti non pœnam, sed infortunium.

42. Uterque conjux sibi mutuo debet fidem conjugalem. Itaque peccat graviter qui sine justa causa debitum negant alteri; si habeat cum alieno oscula, aut tactus impudicos. Imo peccant conjuges, qui hæc habeant inter se cum periculo pollutionis, aut utantur matrimonio contra naturam, aut cum periculo abortus. Peccat item conjux, qui verbis contumeliosus, aut injuriis alterum afficit, qui turbas, aut rixas domi excitat, pacem familiæ perturbat, qui de alterius continentia sine sufficienti indicio male judicat, vel suspicatur. Atque hæc utrique conjugii sunt communia.

43. Maritus autem speciatim tenetur uxorem alere secundum statum suum. Quod si illa sponte discesserit a marito absque ulla illius culpa, non tenetur ei præbere alimenta, neque si

adulterium commiserit. Nequit tamen mulieris adulteræ dotem sibi retinere auctoritate propria. Debet quoque Maritus rem familiarem diligenter curare, mulierem benigne tractare; & licet possit eam cum debita moderatione corrigere, non potest graviter fustibus, aut verberibus cædere. Imo in praxi non nisi raro, & gravi ex causa licet uxorem verberare, cum inde ut plurimum rixæ, & incommoda exoriantur: Nec potest impedire, ut mulier præcepta Ecclesiæ adimpleat, & Sacramenta frequentet sine gravi causa.

44. Uxor vero speciatim tenetur viro obedire in iis, quæ ad domus gubernationem spectant. Nec licet sibi administrationem arrogare, nisi maritus sit ineptus, aut incurius. Non potest aliquid expendere contra viri voluntatem, & consuetudinem feminarum sui status, nisi forte ex paraphernalibus, si habeat. Non tenetur autem viro obedire in iis, quæ suæ conditioni non convenient; & ideo mulier nobilis, aut dives non tenetur famulæ, aut servæ opera præstare, v. g. verrere domum, coquere cibos, cet. Mortuo viro tenetur uxor debita ipsiusolvere; an vero ex bonis dotalibusolvere debeat debita viri contracta ad alendam familiam? dubitant AA. affirmant aliqui, si vir erat pauper, cum debita contraxit; negat tamen communior sententia, nisi debita contraxerit nomine uxoris, aut ipsa sciente, cum actio repetendi æris alieni in creditore sit tantum personalis, scilicet contra virum.

45. *Quest. 8.* Ad quidem teneantur Paro-

chi? R. Parochus Jure Divino tenetur 1. residere in Parochia. Ita docet Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref., alioqui fructus non facit suos, & debet eos pro rata absentiae restituere fabricae Ecclesiae, vel alteri causae pia. Potest tamen cum facultate Episcopi, & ex justa causa ad breve tempus abesse, tenetur subditis administrare Sacramenta non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, ut docet S. Th. & communis sententia TT. Imo tenetur etiam inquirere graviter indigentes. Quoties autem & quanto cum periculo, dicemus ubi de Pœn. & Euch. 3. tenetur orare pro populo & celebrare, ut populus audiat Missam. 4. ex decreto Ben. XIV. Missam pro populo applicare singulis Dominicis, & festis solemnibus. 5. populo doctrinam Christianam explicare per se, vel per alium; ut constat ex Trid. Sess. 24. de Ref. c. 4. quae quidem obligatio gravissima est, & ut multi docet, juris Divini. 6. Tenetur docere populum concionando, arguendo, cet. 7. infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, & peccati pericula impedire, etiam cum gravi vitae suae discrimine, si spes sit probabilis fructus. Idem potiori jure dico de scandalo, aut scandali periculo; sive ad hoc teneatur ex sola charitate, ut aliquibus placet, sive etiam ex justitia, ut multi docent.

46. *Quaest. 9.* An Parochi, & Episcopi teneantur inquirere in mores subditorum? Affirmat D. Thomas 2. 2. q. 33. d. 2. ad 3. quia Pastoribus speciale munus incumbit, oves suas non solum corrigere aberrantes, sed etiam pros-

picere, & cavere, ne muneri suo deficient. Imo ad hoc tenentur ita, ut ovium saluti providere debeant, etiam cum periculo mortis: itaque non possunt ea deserere, nam bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, ut habetur Joan. c. 10., quae verba non solum consilium continent, sed etiam præceptum: *Si vero*, subdit Th. *subditorum saluti possit sufficienter per alium providere, tunc licet vel propter aliquod incommodum Ecclesiae, vel propter personae periculum gregem deserere.*

47. *Quaest. 10.* Quænam sit obligatio Præceptorum, ac Discipulorum? R. Inter præceptores, ac discipulos eadem est quodammodo obligatio, quæ inter parentes, & liberos. Itaque discipuli exhibere debent Præceptoribus honorem, ac reverentiam. 2. pactam eis mercedem solvere. 3. obedire in rebus ad studia, & bonos mores pertinentibus. 4. Gymnasii, aut Academiæ leges servare, si ad eas accedant. 5. libros a Magistris prohibitos cavere. 6. ab otio, & lusu vacare, præsertim tempore scholarum, aut studiorum.

48. Magistri vero, & pædagogi tenentur, profectum discipulorum tum in litteris, tum in bonis moribus diligenter curare, atque eos prudenter corrigere, & punire, si peccent. 2. exemplo eos præire, adeoque omne scandalum, & peccati occasionem ab eis tollere. 3. Vacare studio, quantum opus sit ut officio suo satisfaciant. 4. Doctrinam sanam docere, ab omni superstitione, & vitio cavendo. 5. Si doctoratus insignia conferenda sint, ea dignis confer-

re; nam grave peccatum est, ea negare dignis, aut dare non dignis ut monet Navarrus. Denique debent e scholis opportune dimittere eos, qui aliis malo sint exemplo, aut eos in Scholas non admittere; vel saltem eos monere, quibus hujusmodi cura incumbit.

TRACTATUS IV.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

Non occides. Exodi 22.

CAPUT I.

De sui Occisione.

1. *Quæst. 1.* Quid prohibetur hoc præcepto? R. nominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis afflictio injusta: prohibentur horum causæ, & dispositiones, ut odium, vindicta, rixæ, cet. nam ut Christus sæpe docuit in Evangelio, præcipitur mansuetudo, patientia, & injuriarum condonatio. Porro homicidium est gravissimum peccatum, cum tollatur homini vita, quæ bonum est maximum, quod reparari non potest. Ideo Ecclesia damnat Excommunicatione mandantes, occidi Christianum per sicarios, eosque recipientes, defendentes, aut occultantes, ipsosque ait, incurrere depositionem ab omni dignitate, officio, ac Beneficio. Ita in c. *pro humani de Homicidio*, ubi tales habentur tanquam *banniti*, ita ut amittant omnia

sua bona, & detur cuilibet facultas eos necandi. Verum hæc intelligenda sunt post sententiam declarantem legitimi Judicis, nec ante illam annathemate sunt obstricti, aliisque poenis supra dictis. Quibus ex eadem ratione comprehenduntur ipsi sicarii, quamvis Pontifex de solis mandantibus loquatur. Vide Navarr., Azor., & alios.

2. *Quæst. 2.* An liceat se ipsum occidere? R. *directe* id nunquam licet sine Divina auctoritate; est enim contra charitatem sui ipsius, & fit injuria Reipublicæ, & Deo, qui est solus humanæ vitæ Dominus. Imo juxta multos se ipsum accidens peccat contra justitiam, licet alii solum censeant, peccare contra charitatem. Quod si Sampson, aliique Martyres se ipsos morti objecere, pie creditur, eos id fecisse ex Divino afflatu. Licitum est tamen aliquando, se *indirecte* occidere, hoc est, aliquid ex gravi causa facere, vel omittere, unde præter ipsius mentem mors oriatur; præceptum enim conservandi vitam, utpote affirmans, non ita semper obligat, ut nequeant aliquando omitti ob bonum finem, sive ob utilitatem magnam, vel necessitatem. S. Th. 2. 2. q. 6. Unde miles non tenetur stationem deserere, etiam si moraliter certus sit, sese occidendum; Episcopus, & Parochus possunt, ac debent perferre mortem, ne gregem sine pascuo deserant. Potest quis se telo objicere ad servandam vitam Principis; imo ad servandam vitam amici potest quis tabulam cedere, ut docent AA. ex D. Th. qui in 3. d. 29. ar. 5. ad 3. ait: *trade-*